# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# RACHITIDE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit


GULIELMUS BARTON,

ANGLUS,

Soc. Reg. Med. Edin.

Et

Nat. Studios. Soc. Extraord.

Nec non

Soc. Phys. Soc. Honor.


Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.


EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

Nobilissimo viro,

EDVARDO SMITH STANLEY,

COMITI DERBIÆ, &c. &c.

Qui perantiquos gentis honores,

Atque nomen splendidum,

Singulari patriae amore,

Ingenii vena divite,

Morum suavitate,

Et insigni, qua omnes excipit,

Suosque maxime complexus est,

Benevolentia,

Ampliavit;

Hasce studiorum primitias

D. D. Cq.

Devotissimus

A U C T O R.

Mr. Jeffery

with best Compliment[s]

from his obedt. hble Serv[t]

Wm. Ba[...]

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

### DE

# RACHITIDE.

DE tempore, quo primum Rachitis, seu morbus spinalis (Anglice *the Rickets*) genus humanum invasit, apud medicos minime constat. Glissonius, caeterique una cum hoc medici, quibus a collegio Londinensi id negotii deditum est, primi hunc morbum graphice depinxerunt. Illi quidem persuasum fuit, Rachitidem non innotuisse ante annum circiter trigesimum, quam ipse scripsit; quo tempore, scilicet, in occidentalibus Angliae regionibus, ea prodiit, omnium in se attentionem convertens: Affirmat etiam in septentriona-

libus comitatibus tunc temporis multo rarius visam fuisse; postea tamen alias regiones et gentes attigisse.

Sed, pace tanti viri, non possum quin aliter de hac re sentiam. Haud est negandum, quosdam ex morbis, qui nunc temporis grassantur, priscis fuisse ignotos: Verumenimvero hi omnes, ni multum fallor, a contagione profecti sunt, et per hanc foventur. At Rachitidem ex hoc principio nunquam nasci, apud omnes fere convenit. Siquidem ad causas, quae hunc morbum movere solent, respiciamus, hae plurimae a rerum primordiis corpora hominum plus minusve exercuerunt; et quia hodie in Batavia majori, quam in aliis regionibus, vi pollent, hoc malum illi gravius incumbit. Verique simile est, antiquitus rarius contigisse, ob lavationes frigidas saepius corporibus infantium adhibitas, et ob bonos mores, quos neque desidia neque luxuria adeo vitiarant. Quo factum fuit, ut homines ad prolem robustam, Rachitidi minus patentem, generandam valuerint.

Attamen

Attamen in ſcriptis antiquorum leguntur multa ſigna, vel confertim, vel ſeparatim tradita, quae, ut credunt quidam magni nominis, et eruditi medici, morbum hunc, olim etiam infantes aliquando invaſiſſe, declarant.

## DEFINITIO.

Caput magnum anterius maxime tumens; genicula tumida; coſtae depreſſae; abdomen tumidum; caetera marceſcentia. *Cullen. Syn. Noſ. Method. Gen.* 83.

## HISTORIA.

Hic morbus maxime, vel ſolum forſitan, infantes adoritur. An unquam vero ab ineunte protinus aetate viſus fuerit, nondum liquet. Exempla quae a Gliſſonio et Kleinio petuntur, ad eorum opinionem firmandam, qui morbum hunc aliquando, dum foetus in utero geſtatur, pullulare

pullulare et crefcere proponunt, admodum incerta effe videntur: Et graviffimae auctoritates contra hanc fententiam nituntur. Ut plurimum infantes menfes ad novem natos, vel ab hac aetate ad primi biennii finem, invadit: Quo tempore impune praeterito, raro quidem per reliquum vitae curfum veftigia ejus fefe in confpectum praebent.

Ingreditur pedetentim, et figna quaedam adfunt, ex quibus quid eventurum fit colligere poffimus. Infans, qui antea in manibus nutricis exerceri et jactari geftivit, nunc motum corporis quemcunque validum averfatur, otii, parvulis fefe bene habentibus maxime ingrati, appetens. Laffitudo fpontanea mifellum premit, qui corporis fitus, prae debilitate, faepius mutat; eofque maxime affectat, in quibus mufculorum actione exigua ad corpus fuftentandum opus eft. Fatendum eft, haec figna omnium fere morborum acutorum etiam praecurfores effe: Sed, ubi circa aetatem praedictam accedunt, et aliquamdiu perdurant, ne Rachitis fit in propinquo, gravis eft caufa metus. Qui pedibus infiftere antea valuit, ne minimo auxilio ab adftantibus adhibito, non

amplius

amplius pede certo ſignat humum. Inter eundum vacillat, titubat, non raro humi procumbit. Auctoribus Buchnero * et Roſenſtein †, Rachitici per aeſtivos menſes firmius gradiuntur, et ineunte hyeme pedibus inſiſtendo minus apti evadunt.

Animi adfectus languent; gaudium, riſus, ira, moeſtitia, ploratio, difficilius excitantur; et excitatae, minus, quam aliorum, vehementes ſunt. Contra, mentis actiones, habita aetatis ratione, vigent admodum. Ingenium vividum eſt, judicium acre. Teſtante ſagac. Buchnero, qui in hoc morbo indagando operam ſummam navavit, res ſaepe ſaepius aliter ſe habuit. Sed his in exemplis veriſimile videtur, morbum alium ſeſe comitem adjunxiſſe, et encephalon aqua gravatum fuiſſe.

Ingraveſcente malo, debilitas, torpor, et ignavia augentur; ab omni corporis, aut geſtatione, aut exercitatione, quae propriis eget viribus, abhorret aeger, ſeſſione, et tandem decubitu, ſibi ſemper indulgere cupiens.

Membra

* Diſput. ad Morb. Hiſt. Hall. tom. vi pag. 282.

† Diſeaſes of Children, tranſlated by Sparman, pag. 276.

Membra quaeque corporis gracilefcunt, et macie conficiuntur, excepto capite, quod miram in molem excrefcit. Suturae haud coëunt, et medium, quod inter os frontis, et utrumque parietale, relinquitur fpatium, multo quam hac aetate folet amplius eft. Frons etiam longe prominet. Faciem, quanquam pallidior et tenuior eft, quam in fanis et vegetis, macies et pallor non aeque ac caeteras corporis partes obfidet. Collum gracile videtur, et vafa fuper id ad caput repentia, hujufque nutrimento deftinata, tum quoque quae fanguinem cor verfus referunt, infolitae funt molis.

Pallor cutem occupat, quae, quafi jufto capacior, in rugas collabitur. Monente tamen Gliffonio, tactu mollior, et ut plurimum laevior deprehenditur *. Abdomen tumet; fed integumenta ejus videntur extenuari.

Epiphyfes offium, uti radii, ulnae, humeri, femoris, tibiae, fibulae, coftarum, &c. intumefcunt et mollef-

cunt;

* De Rachit. cap. 21. pag. 263.

cunt; aliquando etiam, cartilagine interjecta depasta, nexus epiphysin inter et os ipsum abrumpitur *.

Ossa ipsa spongiosa et mollia evadunt; nil mirum igitur, quod incurvationes et abbreviationes varias patiantur. Prae aliis, tibiae, fibulae, et femora curva fiunt: Unde vari et valgi. Brachia quoque, minus autem, inflectuntur.

Thorax quasdam mutationes insigniores subit: Nam a lateribus complanatur, et coarctatur; ad sternum vero in acumen surgit, carinam navis quodammodo referens. Clavicula, magis convexa facta, in modum *S* literae incurvatur.

Vertebrae huc illuc inclinantur, unde cervix atque truncus breviores; dorsoque retrorsum extuberante, caput intra humeros quasi demergitur. Spina admodum decurtata; nil mirum, brachia, humeros, femora, et

* Reichel apud Sandif. thes. de Epiph. ab oss. Diaph. deduct. vol. i. pag. 10.

et crura, etiamſi revera flexa et brevia ſint, praeter naturam longa videri.

Oſſa innominata juſto planiora fiunt; pelvis anguſtior evadit; ob hanc cauſam mulieres, quae antea rachiticae fuere, difficiliter parturiunt.

Dentes tarde admodum exſeruntur, atque, uti fertur, paulo poſtquàm exſerti fuerint, tentantur carie, et laxis circiter gingivis, ſponte ſua decidunt. Ruſſel etiam obſervavit *, gingivas ſaepe in hoc morbo, ſicut in ſcorbuto, admodum ſpongioſas eſſe; et ulcera foeda in iis oriri, quae, ſi neglecta ſint, ſuper genas vel in nares ſerpentia, cauſam mortis tandem adferunt. Phyſiologum tamen celeb. in praelectionibus ſuis aſſeverantem, in rachitide dentes morbi omnino eſſe immunes, me audiviſſe bene memini.

Cibi coctionem minui, et aſſimilationem inique perfici, et praecipue morbo provectiore, varia ſigna declarant.

* Occonomy of Nature, pag. 77.

clarant. Ventriculi vires languent, cibos plerumque minus appetit, et quae, illi antea vegeto, prae aliis grata fuissent, nunc fastidit. Dulcia potissimum respuit, et ab ingestis bellariis male se habet. In multis tamen rachiticis cibi cupiditas, aeque ac in sanis, viget, immo etiam intenditur. Hoc forsitan vermibus, non raro in intestinis eorum scatentibus, qui cum morbo spinali luctantur, tribuere, et pro signo adventitio habere, oportet.

Adolescente morbo, alvus fere semper est aliquantum adstricta, adulto, diarrhoea, torminibus, et borborygmis, provecto, nonnunquam etiam lienteria conficitur aeger. Alvus pertinaciter per multos dies adstricta, dein e contrario fusa, per vices alternas saepe mutuo sese excipiunt.

Urina plerumque pallet; nonnunquam etiam diutius solito in vesica detinetur; unde vel ischuria, vel stillicidium succedit. Sub ingressu morbi pulsus solito tardior et languidior est; sed in statu graviore et vetusto, hec-

tica dicta febris accedit; cujus exacerbationes noctu praecipue repetunt, et aegri vires paulatim frangunt.

Saepius anhelans per nares ſpiritum trahit; et tandem, niſi erectum teneatur corpus, ſuffocatione periclitatur. Tuſſis interdum ſicca, plerumque humida, infeſtat. Vox aut ſtridula eſt, aut rauca, et gravior quam pro aetate.

Morbo denique ſtrages ſuas longe lateque edente, vires paulatim ſuccumbunt. Oculi lachrymis ſuffundi incipiunt. Vultus marceſcit et collabitur. Tumores ex aqua * ſub cute, vel alibi, latente percipiuntur. Anima foetet.

Poſt haec vel horum plura morbi graviſſimi indicia, accedunt demum convulſiones, et miſellus aeger vitam cum morte commutat.

Sed

* Buchnerus vero teſtatur, tumores, eoſque praeſertim qui in pedibus et brachiis ſitum habent, ex aëre potius quam aqua fieri; namque ab uno ad alterum latus migrarunt; neque, cadavere aperto, fuit, quod eos parere potuit. Monere tamen vellem, quod aqua aut latuiſſe aut elapſa fuiſſe potuit. Diſp. ad Morb. Hiſt. Hall. tom. vi. pag. 288.

Sed ſaepe ad alteram metam morbus tendit; ſi enim tempeſtivis uſus auxiliis, impetui ejus obſtet medicus peritus, non modo proceſſum ejus ulteriorem prohibere, ſed, viribus Naturae opem ferentibus, quae in tenera aetate mirum in modum pollent, omnia fere veſtigia morbi praegreſſi delere valebit. Quod ſi altius radices egerit, et, corpore jam admodum infirmo, oſſa valde fuerint inflexa; tum, licet in praeſentia mortem effugiat aeger, et plurima, quae ſupra poſita ſunt, incommoda ſubleventur, nihilominus ex cavis thoracis et abdominis coarctatis, ne vel in phthiſin pulmonalem poſtea incidat, vel aliis quibuſdam morbis, ex viſceribus arctius compreſſis ortum ducentibus, corripiatur, periculum eſt. Ut optima dicam, ridicule, anatis inſtar, vacillat.

Cadavere Rachitici aperto, plurima vitia plerumque in conſpectum prodeunt. Humor non raro in abdomine, thorace, capite, vel ſub cute cogi videtur. Jecur et lien tument, et dura ſunt. Tubercula et abſceſſus in pulmonibus deprehenduntur. Pleura pulmonalis coſtali ſaepe agglutinatur. Meſenterii, ſicut etiam aliae glan-

dulae

dulae lymphaticae, grandiores et infarctae. Inteftina aut turgida funt aëre, aut materia cruda vermibufque fcatent. Vefica in molem infolitam diftracta, faepe extra pelvim (capacitate multum imminuta) truditur, et tunicae ejus admodum craffae evadunt. Membra ultra folitum flaccida manent, neque obrigent. Offium epiphyfes tumidae funt, et facile fciffiles. Offa admodum mollia inveniuntur, et adeo funt preffione mutata, ut cava fua parallelogrammata, potius quam cava cylindracea, referant. Cancelli fero rubello, adipis vice, referti funt. Buchnerus affirmat fe femur ipfum cultro anatomico faepius abfque vi difcidiffe. Mufculorum compages, fummopere laxa, atque color fubalbidus eft. Sanguis refolutus admodum, et rutilus a Buchnero obfervatus fuit *. Omentum a Langgutho †, ficut etiam a Buchnero, parvum, tenue, et omni pinguedine deftitutum, deprehenfum fuit.

Qua ratione adveniens hic morbus dignofcatur, breviter jam propofui. Poftquam increvit, offium affectu fibi

* Difput. ad Morb. Hift. Hall. tom. vi. pag. 281.

† Idem liber, pag. 311.

ſibi proprio et evidente, a genere quocunque morbi facile diſtingui poteſt.

## CAUSÆ REMOTÆ.

Quoniam huic morbo advenienti occurrere, vel et incepto, priuſquam penitus inſedit, mederi, praecipue nos penes eſt; remotas cauſas, tum quae corpus opportunum reddunt, tum quae morbum ipſum, data opportunitate, excitant, bene perſpectas atque exploratas habere, ſummi momenti eſſe, cuique patebit. Ea res ſane admodum ardua eſt; et ad quam rite exequendam, nec vires, neque utique experientia mea ſufficit. Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas; et nihil tam difficile, quin quaerendo inveſtigari poſſit.

Quae ad Rachitidem creandam conferunt, trifariam commode diſpertiuntur: Prout, ſcilicet, primo adficiant

Parentes infantium,

Nutrices horum; ſive demum

Infantes ipſos.

Hae

Hae omnes, ni fallor, morbum continent, ex eo quod ſimplicium laxitatem, motricium fibrarum imbecillitatem, humorum tenuitatem, et nutrimenti inaequalem diſtributionem movent.

Haud diſſimulandum eſt, Rachitidem nonnunquam incidere, ubi nullae cauſae notabiliores antecedere viderentur. Non ideo tamen, quod obſervationem, ſaepe parum accurate adhibitam, effugerint, nullas revera extitiſſe, inferre fas eſt. Certius, citius, atque gravius, cum inter ſe conſociatae ſunt, effectus edunt. Poteſt cauſa, dum ſola eſt, hunc morbum non movere, quae, juncta aliis, maxime movet. Quare, poſita quavis noxa, quia, hac praeſente, morbus non ſemper prodit, vel abſente, aliquando naſcitur, hanc nunquam in culpa eſſe ſtatuere, minime licet.

Quin vis nervoſae in motrices fibras illapſus, ſolidi ſimplicis dotes augeat, nemo ſanus inficias ibit. Namque vis cohaerendi, qua fibrae muſculares vivae gaudent, eam recens mortuarum longe ſuperat. In fabrica animantium, multum quidem a compage atque figu-

ra

ra ſimplicium fibrarum pendet. Pumilioni nato, neque robur, neque moles gigantis, ulla diſciplina vel nutrimento conciliari poteſt. Quinetiam, quam ſaepe conformatio prolis ſimillima ſit parentis, nemo eſt qui ignorat. Quamobrem nil mirum eſt, debilium ſobolem labe imprimi, quae hanc morbis iis obnoxiam efficit, in quibus multa ſubeſt fibrarum ſimplicium laxitas; et adducor ad credendum, parentum conditionem ad morbum ſpinalem non mediocriter conferre. Fidem faciunt res factae et obſervationes a multis habitae.

Auctores ſagaciſſimi memorarunt, eorum natos praeſertim hoc morbo tentari, qui variis malis, gradatim vires labefacientibus, impliciti fuerant; menorrhagia, ſcilicet, leucorrhoea, hydrope, ſcrophula, &c. Nec abſimile videtur, labem haereditariam, ſaepius in matribus, quam in genitoribus, latere. Buchnerus undecim liberorum hiſtorias refert, qui omnes, vel in Rachitidem, vel in mala huic maxime affinia, inciderunt. Mater eorum quidem ſcrophula laboravit, et, cum annos quadraginta tantum nata eſſet, vetulam adeo mentita fuit, uti eam, de menſibus enormiter revertentibus, querentem

tem omnino miraretur *. Langguth etiam miſerae exemplum protulit, quae " ab ubere matris cachecticae, " ex hydrope paulo poſt demortuae (Rachitide) varie " vexatae," morti ſubito ſuccubuit †. Malum eos non raro exercet, quorum matribus imbecillis foetus ſaepius eliſi; vel gravidis, animi adfectus triſtes et debilitatrices, noxae fuere.

Longe abſit ut credam, in Rachiticis ullam ſubeſſe labem luis venereae; vel huic cum Rachitide quidquam eſſe commune. Attamen eos parentes, qui morbo venereo tentati, vel eo ipſo, vel curatione prava fracti fuere, ſobolem teneram, Rachitide periclitantem, tam genituros, quam parturas eſſe, non minus veritati quam rationi eſt conſentaneum.

Divitum aedes, non ſecus ac pauperum tabernas, hoc malum pulſat. Illi quidem vitam terunt deſidioſam, mollem, multis morbis debilitantibus infeſtam; et ſaepius

* Diſput. ad Morb. Hiſt. Hall. tom. vi, pag. 285.

† Idem liber, pag. 305.

pius leucorrhoea, menorrhagia, hyſteria, abortu, &c. affliguntur. Hi variis quoque gravibus malis obnoxii ſunt; victum ſaepe lana, tela, aliiſque ſellulariis artibus quaeritant. Labore nimio, frigore, et morbis ab hoc fonte ſcaturientibus, conficiuntur: Neque horum ſemper bene aluntur corpora. Qui medios vitae ordines tenent, prae aliis liberos procreant vegetos, et hujus morbi immunes.

Sed etiamſi corpus ſit huic morbo opportunum, plerumque neceſſe eſt, poteſtates externae accedant. Infans recens natus, ubera nutricis ducens, lacte ex his abſorpto alitur. Hoc quidem aliquando mutationes quaſdam inſignes ex conditione nutricis ſubit. Enimvero animi perturbationes, morbi, medicamenta varia, in lac ſecernendum effectus edunt, qui id ad corpus rite nutriendum minus aptum efficiunt. Hinc ſaepe alvus fuſa, tormina, convulſiones. Infans ſaepe non ante ab ubere depellitur, quam lac vetuſtum et caſeoſum factum fuit, nonnunquam etiam nimis tenue et ſeroſum praebetur. Non raro prae ignavia nutrices curam et attentionem, quibus opus eſt, tenerae proli haud adhibent.

Quin caufae, quae, in ipfos infantes agentes, morbo anfam praebent, debilitatrices fint, nullus dubito: Quippe quarum omnium eft commune, et perpetuum, vim nervofam minuere, fibrafque fimplices laxare.

Qui fub Jove frigido, humido, degunt, his Rachitis maxime eft infefta. Humiditatem frigoris actionem admodum intendere, neminem latet. Hanc ob caufam, in Britannia et Batavia, quibus in plagis aër eft admodum nebulofus, malum fpinale longe lateque graffatur. Buchnerus monet, in Argentorato corpora infantium mollia effe, pulchritudine infignia et Rachitidi patentia; ibique certis anni tempeftatibus, cum ex auris ftagnorum et fluminum coelum eft humidius, hunc morbum incolas teneros maxime urgere; et urbem ipfam, quae, quam caftellum, fitu ficciore gaudet, hoc, et plerifque malis in relaxatione pofitis, magis vacare. Docente Sydenhamo obfervantiffimo, dies nebulofi, humidi, in quibus febres intermittentes plurimae nafcuntur, iis, qui Rachitide periclitantur, peffimi funt; et morbum ipfum potiffime accerfunt. Hoc etiam in caufa eft, quare pauperum infantes faepius corripiantur; namque horum

rum caſae frigidae, humidae, teneris miſellorum corporibus graviter nocent. Neque veſtimenta ſua rara, et pannis obſita, prohibere poſſunt, quo minus ad hos frigus aſpiret. Necnon faſciis madidis, et haud caute ſiccatis, involutio a celeb. Roſenſtein merito incuſari videtur *. Ob hanc cauſam, et ex eo, quod munditia non attente adhibetur, vaſa ſummae cutis debilia fiunt, neque materiam perſpirabilem tranſmittunt.

Exercitatio modica ſtimulo eſt corpori admodum idoneo, et univerſo; quippe quae vim ſanguinis per totum vaſorum ambitum promovet, ſolidiſque omnibus robur conciliando, ne humores corrumpantur, efficit. Hinc ratio patet, cur ſaepiſſime a neglecta exercitatione hic morbus aggravetur. Non immerito igitur Boerhaavius et Van Swieten acriter in eas matres invecti ſunt, quae, ut familiae curis vacent, miſeros infantes in ſellas perforatas, corpore inferiore nudo, committunt. Hinc forſitan evenit, ut Rachitis in iis oppidis, in quibus multa ſunt opificia, feminas exercentia, frequentiſſime vagetur.

* Diſeaſes of Children, tranſlated by Sparman, pag. 272.

tur. Eodem nonnihil confert, uti verisimile est, aër frequentia hominum et variis exhalationibus inquinatus.

Infante a mammis disjuncto, natura cibi ingesti saepius in culpa est: Qui incolumi sanitate gaudent, his non aliud est lacte praestantius nutrimentum. Sed in ventriculo imbecillo, qualis fere semper est eorum, qui huic morbo proclives sunt, cito fermentationem acidam subit, eoque non potest non stomachum, et intestina, jamjam debilia, offendere. Exinde chylus non recte paratur, et omnia in pejus ruunt. Rem aliquando ita se habere, ructus acidi, borborygmi, animae foetor, et diarrhoea documento sunt. Etiam farinam, quae nullam fermentationem subivit, aliquando, etsi rarius, nocere, haud absimile videtur. Cibi, qui a ventriculis infantium debilibus difficilius coquuntur, (uti pluribus auctoribus placet), non raro laedunt. Inter hos eminent pisces, et cibus ex animalibus confectus, sale et fumo conditi. Materia vegetabilis, et praecipue cruda, a qua corpus minus alitur; lac cum aqua commistum; vina haud meraca, et in acidam fermentationem proclivia;

haec

haec omnia, uti mihi videtur, non ſine gravi cauſa, morbum hunc primo excitare, et inchoatum adaugere, credita ſunt.

Apud auctores obſervatum eſt, Rachitidem ſaepe alios graviores corporis adfectus excipere; et hos, pro illius cauſis, quodammodo habere fas eſt. Sydenhamo teſte, non raro febres intermittentes ſecuta eſt. Clariſſ. Roſenſtein, Buchnero, et aliis narratur, dentitionis, dolore, diarrhoea, et convulſionibus ſtipatae, morbum ſpinalem ſaepe veſtigia premere; et nil mirum eſt, ſi ad ſummam debilitatem, quam haec mala movere ſolent, animos attendimus, quod Rachitide excipiantur. Cutis vitia, uti tinea capitis, ſcabies, &c. male curata; lavationes et fomenta calida, Boerhaavio; etiam "affectuum "cutaneorum, tumorum in glandulis inguinalibus, ſub-"alaribus, parotidibus, medicationes ineptae," Brendelio *, in noxis numerantur.

Inter divites non ſolum vitio parentum morbus naſcitur; ſed accedunt etiam cauſae in liberos agentes, quae

* Opuſcula, pars ii. pag. 10.

quae eum excitare possunt: Quum apud hodiernas matres, mos, profecto inhumanus! jam valeat, infantes suos nutricibus mercenariis locandi; quarum fit incuria, ut incommoda prope eadem, ditiorum, ac egenorum, premant.

## CAUSA PROXIMA.

In hoc morbo omnia corporis solida justo minus ali, et hinc laxa et debilia evadere, constat. Attamen praeter hanc relaxationem communem, quidam sunt affectus, ossium proprii, scilicet mollities et moles aucta. Hoc vitium, quod debili flexibili Gaubii respondet, materiei isti terreae, quae ossibus duritiem et firmitatem conciliare solet, haud satis abunde secretae, tribuere oportet.

Osseae in his materiei defectus oriri potest; tum ex vasorum, quae ossificationi inserviunt, actione depravata, et debili; unde evenit, ut quod secretum fuerit, ad ossa

essa confirmanda prorsus sit ineptum; tum ex nimia, terrae jam rite secretae, et appositae, absumptione.

De modo, quo ossa fiunt, nil fere certum statuere licet; sed hoc saltem pro comperto habemus, quod, si quid desit instrumentorum viribus, quae isto munere perfungi debent, opus tardum et imperfectum futurum est.

Quo tempore primum membra ad corpus sustentandum valere debent, si accedat vasorum, quae ad ossa pertinent, imbecillitas, pessimi non possunt non inde provenire effectus. Solam vero imbecillitatem ad Rachitidem creandam vix sufficere, propterea verisimile est, quod vasa, tum ossium, tum reliqui totius corporis, variis, et causis, et gradibus saepissime debilitari, dum tamen hic morbus ex toto abest. Neque quidem hujus debilitatis ea tempestate accessio, qua ossa firma evadere solent, nodum hunc omnino expedit: Namque, post haec firma facta, malum non raro obrepit, ea denuo resolvens. Imo exempla haud desunt, in quibus ossa mollita

lita fuere, poſtea quam corpus ad ſummum incrementum pervenerat.

Ex mole quorundam oſſium aucta, vaſa eorum majore cum vi opus ſuum abſolvere, inferre haud licet; etſi enim grandiora ſint, tamen minus firma eſſe videntur; et, uti credo, leviora ſunt. Verique ſimile eſt, vaſa quae in ſano corpore terram, in Rachitide materiam aliquam, quae ad molem potius quam duritiem addendam apta ſit, in oſſibus ſecernere; et hanc materiam, qualiſcunque fuerit, cancellos, ex facili cedentes, nimio plus diſtrahere, eorumque parietes longius ſeparare. Quum etiam exiguum tantummodo materiae durae terreae ſecernatur, nil obſtat, quo minus ipſa vaſa producantur, et augeantur; id quod in oſſium planorum diploë *, longorum meditullio et extremis, maxime fieri conſuevit. Ubique, ſcilicet, durae laminae attenuantur, et quae ab initio capaciores, et laxiores fuerint

* Celeber. Monro cranium cujuſdam, qui, tenera aetate Rachitide vexatus, ab ea poſtea convaluit, miram in craſſitudinem auctum, in theatro ſuo anatomico exhibet.

rint partes osseae, ut circa articulos fieri solet, hae semper ultra modum crassescunt.

Eorum, qui huic morbo succumbunt, sanguis admodum tenuis est, et coloris pallide rubescentis: Musculi, sicut alia quoque corporis solida, compagis laxae ac tenerae sunt. Ex quibus colligi potest, illum debitam nutritionem his haud praebere posse: Sed qua de causa eveniat, ut in hoc, secus ac in caeteris morbis, quos sanguinis tenuitas comitatur, ossa minus alantur, nondum liquet.

Qui modum, quo ossa nascuntur, rite perpenderit, materiam osseam vasis sorbentibus perpetuo amoveri, et denuo novae materiae esse appositionem, dubitare non potest. Si res aliter se haberet, epiphyses et apophyses pari, qua caeterae partes, ratione increscere deberent. Hanc terrae per vasa sorbentia detractionem, ossa in senibus, quam in iis qui media sunt aetate, leviora; denique, pericula quaedam, de ossibus per rubiam tinctorum instituta, comprobant. Sicubi igitur terrae solita quanti-

tate effusae plus absumitur, tum in mollem ac flexibilem substantiam mutatum iri clare patet.

In morbo homines nonnunquam adoriente, qui ossium mollities seu incarnatio audit, quin nimia terrae detractio aliquatenus in culpa sit, vix dubito. Namque quoddam ejus signum ab auctoribus annotatum legitur, quod rem extra dubium ponere videtur. Scilicet aegri urinam magna cum copia materiei lacteae vel gypseae commistam reddunt *. Celeber. Monro in praelectionibus suis academicis monet, ossium mollitiem a sale communi immodice ingesto, in uno exemplo, provenisse visam; terrae detractione, ut existimat sagaciss. Professor, per id sal excitata et adaucta.

Siquidem actio vasorum reliquorum languida et debilis est, haec non satis causae videtur, quod dubitemus, vel denegemus, vasa ossium lymphatica summo cum vigore munere suo persungi: Nam in diabete et hydro-

pe;

* Vid. Lond. Med. Observ. vol. v. pag. 266. Necnon Lieutaud, Hist. Anat. Med. tom. ii. pag. 348.

pe, quos morbos pene omnia debilitatis ſigna comitantur, vaſa ſorbentia in corpore ſummo patula, plus, quam in ſtatu ſano, madoris ex aëre in ſanguinem derivant. Igitur rem factam agnoſcamus neceſſe eſt; etſi ad rationem ejus reddendam prorſus ſimus impares.

Mihi quidem non compertum eſt, urinam lacteam in morbo ſpinali unquam redditam fuiſſe: Nec auctores habeo idoneos, qui id factum memoriae tradiderint. Nequeo tamen quin credam, detractionem nimiam terreae partis oſſium, aliquid ad mollitiem eorum in Rachitide etiam faciendam conferre: Et mihi perſuaſum eſt, Rachitidem infantium, et mollitiem oſſium, qualis in aetate provectiore incidit, multa habere inter ſe communia; neque ullum fere intereſſe diſcrimen, niſi quod in morbo ſpinali mollities, quo tempore oſſa creſcunt, invadat.

RATIO

## RATIO SYMPTOMATUM.

Multa ſymptomata huic morbo adſunt, quae quamcunque corporis conditionem debilem et infirmam comitantur; quaedam ſigna aliorum morborum, huic quidem affinium, praeſentiam denotare; et caſu tantum accedere videntur; de quibus hic loci differere, ſupervacaneum foret. Sunt alia, quae quippe quoniam ex cauſa proxima, Rachitidi propria, ortum ducunt, ut potero, explicabo.

In his eminent imprimis mollities oſſium, et qui inde profluunt effectus; et hos nullus dubito particularum oſſearum, tum ſecretioni et appoſitioni imminutis, tum detractioni auctae, tribuere. Oſſa ſpongioſa et mollia facta, omni preſſurae illatae ceſſura eſſe, quid mirum?

Preſſurae duae ſunt ſpecies; namque vel ab intra oſſium cava contentis; vel a poteſtatibus extra oſſa agentibus,

tibus, exſeri poteſt. Ex his, oſſium inflexio; ex illis, moles eorum, vel partium eorum, aucta, pendere videtur: Scilicet a cerebro creſcente, cranium; a materie in cancellos effuſa, oſſium extrema, ubi hi maxime abundant, et ubi renixus eſt minimus, in magnitudinem inſolitam diſtrahuntur. Poteſtates externae, quibus oſſa flectuntur, ſunt muſculorum iſtis adnexorum contractio, et partium ſupra incumbentium preſſus inaequalis: Ab hac cauſa (uti mihi videtur) pelvis et coſtae juſto planiores, etiam ſpinae et claviculae inflexiones; ab illa praecipue, membrorum ſuperiorum; ab utraque inferiorum, curvaturae proficiſcuntur.

Spina varias patitur inflexiones. Saepe antrorſum incurvatur; nimirum quia corpus ipſum, et praecipue caput, quae, veluti columnae, muſculis ſuſtentari debent, anteriora verſus projiciuntur, et ſpinam ſuo pondere ſecum trahunt. Saepe a lateribus ſpina curva evadit; quod hoc modo explicatum velim. Si corpus ex quacunque cauſa ad alterutrum latus inclinetur, vertebris nunc ſpongioſis, et mollibus, preſſui ab eo latere nimio, cedendum eſt. Hinc corpus paribus ponderibus

haud

haud libratur, ſed magis magiſque indies ad latus affectum vergit, donec ſummam moleſtiam tandem aegro inferat. Deinde, ut corporis aequilibrium reſtituatur, muſculi alterius lateris, cum vi quam antea majori renituntur, et inflexionem contrariam paulatim efficiunt. Haec quidem, ut crediderim, veriſimilis ratio eſt, quare, cum ſpina ad latera deflectitur, duae vel plures incurvationes plerumque ſint; cum antrorſum, unica tantum.

Pectus in acumen ſurgit, ex actione muſculorum qui inſpirationem abſolvunt; ex eo, quod coſtae, qua cum ſterno committuntur, tument; denique expreſſu, dum corpus recumbit, illato, a lateribus planae fiant, et pectus elevetur, neceſſe eſt. Humerus quoque in coſtas, atque in claviculam, premens; et hanc eo magis convexam efficiens, nonnihil ad hunc effectum confert.

Infans ſaepe cubitis innititur; fortius etiam humeros flectit, quam extendit; quo fit, ut hi introrſum et antrorſum incurventur. Eadem fere eſt ratio brachiorum inflexionis.

Oſſa

Oſſa ilia preſſui viſcerum cedunt, et planiora fiunt; dum ſimul capita femorum acetabula introrſum trudunt. Ergo pelvis anguſtior evadit.

Femora ipſa, quae naturaliter extrorſum et antrorſum flectuntur, magis quam antea curva fiunt; quia corporis ſuperioris oneri ſuccumbunt; et quia angulus, capita inter eorum et corpora, minuitur, raroque rectus efficitur. Hinc genua ſaepe procul a ſeipſis invicem remota ſunt; ideoque Rachitici vacillant. Saepius tamen natura, vel quaedam poteſtas ignota, ut nimiae corporis jactationi obviam eat, genua introrſum flectit. Tibia ab anteriore parte magis eſt convexa, ob validam actionem horum muſculorum, qui crus flectunt. Pedes nonnunquam inter ſe longe diſtant, quod explicatu eſt difficile; ſic enim naturae conſiliis obnititur, et jactatio corporis augetur.

Ex viſceribus mole auctis; ex flatu, vel cruda materie, intra canalem alimentarium occluſis; ex aqua in peritonaei ſaccum effuſa; et poſtremo ex abdominis cavo per ſpinae inflexionem, a poſteriore; per pelvim

anguſtiorem,

anguſtiorem, ab inferiore parte minuto, tumor hujus antrorſum oriri videtur.

De mentis vigore in Rachitide admodum intenſo, multum ſubeſt obſcuri. Aliquando fortaſſe caſu modo accidit, nullum cum morbi cauſis commercium habens. Annon ex eo quoddammodo provenit, quod Rachiticus (ſecus ac aliis quiſque infans, qui paribus colludere geſtit) ab omnibus vel luſibus, vel negotiis abhorret, quae vix ullam mentis exercitationem deſiderant; et domi verſans, eorum, quibus judicium maturius eſt, conſuetudine et colloquio utitur? Subdubito tamen nonnullos in errorem lapſos eſſe, qui pumilionis ingenium mirati ſunt, cum aetatis rationem non haberent.

## PROGNOSIS.

Exitus hujus mali non idem eſt in omnibus: Quinimo nonnunquam adeo mite et nullius momenti videtur, ut vix egeat medicina. Saepius tamen pertinax

eſt;

eſt; nec ullis, niſi diu, caute, et aſſidue adhibitis, auxiliis ſanandum.

Quo citius hic morbus poſt partum invadit, eo periculoſior fere ſemper evaſurus eſt. Ubi enim ab incunabilis prodit, et ante adoritur, quam infantis corpus multas externas noxas expertus eſt; haereditariam ſubeſſe labem, et in ſolidis ſimplicibus culpam reſidere, declarat. Quae cum ita ſint, quis non videt, hanc corporis conditionem longe difficiliorem curatu fore, quam quae poteſtatibus externis demum inferatur? Inſuper, tenerrima haec aetas eo majori in diſcrimine verſatur, quod vires morbo perferendo non ſuppetunt, et remedia, quotquot ſint ingeſta, fere reſpuuntur. In malis aeger eſt, ſi facies in rugas collabitur, et extrema tument. Pejus etiamnum eſt, ubi oculi ſtillant; ubi acceſſiones epilepticae, et omnia demum ſigna cerebri aqua gravati adſunt.

Scabies et eruptiones cutaneae inter bona indicia quibuſdam auctoribus adnumerantur.

De variolis ſaepius aegrum occupantibus, quod prodigium Buchnerus annotavit, et ſignum haud lethale, raro tamen bonum, eſſe ſtatuit, non poſſum non anceps haerere *.

## CURATIO.

Quandoquidem ſaepe accidit, ut parentes non ſine gravi cauſa ſolliciti, medici conſilium petant, quo melius a Rachitide praecaveatur; meum eſſe munus exiſtimo, quae ad hunc morbum arcendum maxime idonea ſint, praemittere.

Cibus eorum infantium, qui Rachitide periclitantur ſummam attentionem ſibi vindicat; et ad nutricis conditionem imprimis reſpicere debemus. Si lac nimis tenue praebetur, vel nutricem mutare, vel infantem a mammis omnino depellere, oportet. Si lac poſtea datur, aſinarum

* Diſput. ad Morb. Hiſt. Hail. tom. vi. pag. 283.

aſinarum forſan vaccino primo anteponendum, quod ſincerum, et nulla aqua commiſtum, eſſe debet. Plus cibi ex animalium carne confecti, quam ſolet, concedere juvabit. Neceſſe eſt ut iſtae carnes ſeligantur, quas ventriculus facile concoquat; et quae ſat nutrimenti ſubminiſtrent. Ideoque macilentae, pinguibus anteferendae. Conveniunt juſcula fortiora, quibus condimenta ſunt adjecta; vel gelatina animalium cum vino miſta. Qui vero panis ſumitur, bene fermentatus eſſe debet: Et cavendum eſt ab omni materia vegetabili cruda; utpote cum in propriam fermentationem ruat, et ventriculo jam infirmo nunquam non noceat. Id docent flatus, diſtenſiones, borborygmi, tormina, diarrhoea; quae omnia inde proficiſci conſueverunt.

Ut robori magis conſulatur, potus meracus, et qui ſtimulum idoneum praebere poteſt, dandus. Cereviſia fortis, merum, et ſpiritus juſta aquae copia temperatus, plurimum attuliſſe commodi feruntur. Sed ad id attendamus omnino neceſſe eſt, ut tum cibus, tum potus, parce, ſed ſaepius de die, adminiſtrentur. Sic enim

ventriculus ingeſtis minus gravatur; quibus quoque rite concoctis melius nutritur corpus.

Eximie utilis eſt exercitatio, quae citra defatigationem fit: Quippe, quoniam extrema vaſa, et ventriculum (nam huic cum ſummo corpore mirum eſt conſortium) ſtimulat roboratque. Itaque, qui propriis ſe viribus adhuc exercere nequeant, hos juvat geſtatio aſſidua; quae ſub divo, quantum fieri licet, eſt adhibenda. Geſtationis plura genera ſunt, quorum alia aliis prodeſſe poſſunt. Praeſtat autem infantes, aut in ulnis nutricum caute dimoveri, aut funiculis appenſos per aëra leniter jactari. Convenit quoque equo vehi, vel in rheda vectari, vel etiam navigare, ſed citra nauſeam. Si vero coeli intempeſtas eos foris egredi prohibet, curru domi circumagantur, vel, equo ligneo ſuperimpoſiti, ſurſum deorſum librentur, oportet. Commodum eſt infantes committere ſolo; ſic enim, nulla ope a nutricibus allata, manibus pedibuſque repentes, per ſe citius ingredi poterunt, quam ſi auxilio externo nitantur.

Frictio,

Frictio, vel manu vel panno laneo adhibita, cum sanguinis circuitum promoveat, et exercitationis vicem suppleat, subsidium est non inutile; et per omnia medicinae aeva, auctore primo Hippocrate, ad morbos in laxitate positos, tum praevertendos, tum profligandos, celebrata fuit. Quin et a summo corpore sordes, colluviemque omnem deterendo, plurimum ad hunc morbum arcendum conferet. Etenim, quanti sit momenti mundities ipsa, perspicuum est.

Vestimenta lanea, sicca, calida, quae infantem a frigoris effectibus debilitantibus tueri possint, induenda, et saepius mutanda. Qui Rachitidi patent, super culcitas crinales, vel paleatas, potius quam plumeas, decumbere debent; namque hae, corpori nimis cedentes, et calorem ejus plurimum augentes, fibras laxas et debiles reddunt.

Evitanda sunt quaecunque animum perturbent, vel angant, et, quoties protervus aut tristis sit aeger, blanditiis deliniendus.

In plagis et aedificiis ſiccis, perflatis, ſolem modice potentem habentibus, verſetur: A frigore matutino et veſpertino caveatur.

Praeſidiis vero omnibus frigida lavatio facile palmam praeripit. Floyerus multum dedit operae, ut probaret, hunc morbum in Anglia primum eo tempore ortum eſſe, quo tota infantium corpora in ſacrum baptiſterium immergi deſierunt. Certe nunc temporis Rachitis quam antea minus eſt frequens, quoniam mos admodum invaluit, infantes, ut adverſus eam muniantur, lavandi.

Attentione, quae par eſt, ad omnia praedicta adhibita, plerumque, ni fallor, infantes debiliores, qui Rachitide periclitentur, ea immunes ſervari poterint. Quae etiam, ſi ante adventum morbi fuerint omiſſa, tum fere plus quam medicamenta valebunt, aut certe horum effectus inſigniter promovebunt. Itaque, ſi ſymptomata jam ſemet oſtenderunt, in uſum ſunt vocanda, quae proxime exponam.

Potui

Potui detur ſpiritus cum aqua commiſtus, vel cereviſia fortis, vel etiam merum, prout morbi ratio id poſtulare videatur. Mumma Brunſvicienſis (quoddam cereviſiae genus) magnam famam obtinuit, et a Van Swieten multis effertur laudibus. Ex vinis, praeſtantiora videntur auſtera, qualia ſunt rubra, vel Luſitanicum, vel Gallicum; et haec, ne intus coaceſcant, leniter prius coquere expedit, ſic etiam auſteriora fiunt.

In hujus morbi curatione, praecipuum eſt medendi conſilium, tonum et vim vaſis impertire, quae terram ſecernendo oſſa conſtituunt, et firmant; et voti, nullo modo compotes erimus, niſi totum corpus roborare valeamus. Etiamſi actio vaſorum ſorbentium nimia morbum quodammodo contineat, nulla auxilia, quae ad horum actionem minuendam recte conferant, nobis comperta ſunt; ſi forte tonica dicta excipias: Quarum ope, cum tantus ſaepe fructus percipiatur, inferre licet, actionem ſorbentium nimiam talibus remediis haud ſemper intendi, et nil damni ex eorum uſu profecturum eſſe.

Inter

Inter vegetabilia tonica cortex Peruvianus maxime eminet, et a quibuſdam auctoribus in hujus morbi curatione utilem fuiſſe perhibetur. Sed tanta eſt amaritudo ejus, ut non ſine magna difficultate infantibus ingeratur. Quo minus ingratus evadat, utile erit. Extracto glycyrrhizae et aquae fontis admiſcere; vel clyſmata ex cortice Peruv. confecta injiciantur. A nonnullis medicis, hoc medicamen contra alios morbos, tum intra veſtes ſtratum, tum balnei more, externo corpori admotum fuit, et, uti ferunt, felici cum eventu. Huic tamen modo interna exhibitio, utpote minores ſumptus poſtulans, et magis efficax, ut plurimum anteponenda. Idem quoque medicamentum, teſtante Ruſſel, in gingivarum ulceribus ſanandis profuit *. Radicem rubiae tinctorum adſtringentis nomine ab auctoribus, qui de materia medica ſcripſerunt propoſitum, Levret †, aliique in hoc morbo profuiſſe teſtantur. Vis autem, qua pollet, quatenus ſenſu percipi poteſt, ſi ulla ſit, admodum latet. Hoc de hominibus ſolum intelligendum volo;

* Oeconomy of Nature, pag. 78.

† L'Art des Accouchemens, § 1431. pag. 244. et ſuiv.

lo; invenit enim illuſtriſſ. Monro, animalia in quae experimenta de rubia tinctorum inſtituit, hac, tanquam veneno lento, periiſſe.

Remedia tonica, e regno minerali deprompta, magis vegetabilibus pollere videntur, et, ad Rachitidem fugandam, ſaepe maximo uſui fuere. Quae a ferro parata ſunt, illuſt. Boyle, et poſt hunc Ruſſel *, magni aeſtimarunt: A ferro, inquam; nam judicibus celeberr. Van Swieten et Culleno, flores martiales (Pharmac. Edin.) prope idem medicamentum eſt, ac id, quod nomine Ens Veneris a Boyle laudatum; et, certe ſi ad doſim, quam hic auctor propoſuit, advertamus, nil ſubfuiſſe cupri nobis facile perſuaſum eſſe poteſt. Ruſſel quoque tria grana ejus primo mane quotidie conſulit. Ex ferro quoque paratum eſt, lixivium vel lachryma martis dictum medicamen, non multum floribus mart. diſſimile; quod haemorrhagias e laxitate ortas cito compeſcere, ipſe novi; et infantibus, Rachitide conflictatis, videtur eſſe peridoneum: Nam guttae paucae in aquam vel vi-

F num

* Oeconomy of Nature, pag. 80.

num infusae, liquorem subdulcem, nec ingratum, conficiunt.

Rari quidem cuprum etiam praecipere sunt ausi. Buchnerus ita scribit *: "Infantem nodosum, unius et
" dimidii circiter anni, pedibus, abdomine, scroto non
" rugoso, facie tumentem, flaccescentem, plane stupi-
" dum, eundi loquendique potentia quadam, qua ante
" pollebat, defraudatum, cum largis dosibus resinae
" scammonii, tartari emetici, et sulphuris antimonii
" aurati, ad vitam, sensibilitatem, ac debitam strictu-
" ram, revocare frustra tentassem; tandem amplo cin-
" gulo mercuriali, cum spiritu vini saepius fricata dorsi
" spina, et tinctura veneris Helvetii, quae vitriolum
" cyprium spiritu vini solutum continet, ita data, ut
" vomituriendi quidem conatus, raros tamen vomitus,
" cieret, et appetitum plane prosterneret, in integrum
" restitui; furibundam praxin!" In hocce remedio adhibendo, summa cautione opus est: A dosibus igitur exiguis incipere, et eas sensim augere, debemus. Buchnerus

* Disput. ad Morb. Hist. Hall. tom. vi. pag. 286.

nerus tamen monet, Rachiticos plurimos magnam vitrioli venerei dofim citra vomitum pertuliffe.

De aluminis, in hujus mali curatione, effectibus, mihi non liquet. In diabete, morbo huic maxime affini, in quo cum inhalatione humoris externi aucta, fumma fibrarum mufcularium eft laxitas, ad alumen omnibus fere medicis, et aliquando haud incaffum, confugitur: Forfan in Rachitide etiam periculum ejus facere, operae pretium foret.

Oftracodermata votis celeb. de Haen feliciter ceffere *: Sed quibufdam dubitatio injici poteft, quantum commodi ex medicamento, quantum ex regimine, reportaverit.

Lavatio frigida ad curandam Rachitidem apta eft. Hoc auxilio ufus, Cullenus jure praeclar. non modo quo minus gravior fieret, prohibuit, fed etiam interdum ex toto fugavit. Egreg. Hunter, nuper defunctus, de eximio

* Rat. Med. vol. iii pag. 113.

mio hujus remedii ufu, in praelectionibus fuis mentionem facere folebat. Dum vires aegrotantis crefcunt, calor fenfim minuatur, oportet. Corpus fummum poft immerfionem, fi utile hoc fuerit, calidius et fubrubro colore fit; necnon vaporem tenuem emittit. Qui vero effectus, quo facilius balneum excipiant, confert, et pannis laneis quamprimum corpus obvolvere, et frictionem adhibere.

Nec reticendum eft, quod Doctor Moore in fua differtatione inaugurali protulit: Is refert, oleum fcatinae, feu raiae, corpori inunctum, in plagis Scotiae feptentrionalibus, multum profuiffe. Sed ad ipfam differtationem relego, qui plura de hac re defiderant.

Ut crudae materies, aër, et vermes e ventriculo et inteftinis educantur, vomitum fubinde movere, alvumque folvere, per medicamenta lenia juvabit. Aliter autem omnes exinanitiones huic morbo alienae effe videntur. En verba Buchneri *: " Novi porro qui Rachitide eluc-

" tati,

* Difp. ad Morb. Hift. Hall. tom. vi. pag. 385.

"tati, facile in pleuritidem ſpuriam, cum ſuffocationis "periculo junctam, inciderunt: Quae, venaeſectione "male tentata, juſculo vinoſo cum melle ſumpto, et "cathartico, aut epithemati acri, mox ceſſit." Sic quoque Sydenhamo de purgantibus viſum fuit: In diſſertatione epiſtolari ad Gul. Cole monet, "in Rachitide "vera cathartica locum non habent, niſi ut ſemel, vel "bis ad-plurimum, aeger purgandus, antequam uſum "alterantium ingrediatur."

Ut ſpinae inflexionis corrigantur, aeger in tali corporis ſitu ſervari debet, qualis incurvationi obviam eat; et, ſi ullis negotiis incumbat, in latere ſano eum maxime reclinare oportet. Hoc inclyti Monroi Patris, rationi uſuique conſentaneum, monitum eſt.

F I N I S.